

Jo. 13. Cor.  
4. d. Epist. 5. a  
Phil. 3. c.  
1. Job. 4. c.

dedit spiritum suum sanctum in nobis  
De charitate autem fraternitatis non  
necesse habuimus scribere vobis. Ipsi  
enim vos a deo didicistis: ut diligatis  
in vicem. Et enim illud facitis in omnes  
fratres: in vniuersa macedonia. Rogamus  
autem vos fratres ut abundetis  
magis et opera detis ut quieti sitis: et  
ut vestrum negotium agatis et operemini  
in manibus vestris sicut precepimus  
vobis: et ut honeste ambuletis ad eos  
qui foris sunt: et nullius aliquid desi-  
deretis. Nolumus autem vos ignorare  
fratres de morientibus ut non corrumpi-  
mini sicut et ceteri qui spem non habent.  
Si enim credimus quod iesus mortuus est  
et resurrexit ita et deus eos qui dormi-  
erunt per iesum adducet cum eo. Hoc  
enim vobis dicimus in verbo domini: quia  
nos qui viuimus qui residui sumus  
in aduentu domini non preueniemus  
eos qui dormierunt. Quoniam ipse  
dominus in iussu et in voce archange-  
li et in tuba dei descendet de celis mor-  
tui qui in christo sunt resurgent primi  
Deinde nos qui viuimus qui relin-  
quimur simul rapiemur cum illis in  
nubibus obuiam christo in aera: et sic  
semper cum domino erimus. Itaque consolamini  
in vicem in verbis istis. ¶

Ro. 13. d.  
Apo. 3. a.  
2. Pe. 3. c.

**D** Expibo autem et momentis fra-  
tres non indigetis ut scriba-  
mus vobis. Ipsi enim diligenter  
scitis quia dies domini sicut fur in  
nocte ita veniet. Cum enim dixerit par-  
et securitas: tunc repentinus eis superue-  
niet interitus sicut dolor in vtero ha-  
bentis et non effugient. Vos autem fra-  
tres non estis in tenebris ut vos dies  
ille tanquam fur comprehendat. Dies enim  
vos filij lucis estis et filij diei. Non su-  
mus noctis neque tenebrarum. Igitur  
non dormiamus sicut et ceteri: sed vi-  
gilemus et sobrii simus. Qui enim dor-  
miunt: nocte dormiunt: et qui ebrii sunt

nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei  
sumus sobrii simus: induimus loricas fi-  
dei et charitatis et galeam spei salutis  
quoniam non posuit nos deus in iram: sed  
in acquisitionem salutis per dominum  
nostrum iesum christum qui mortuus est  
pro nobis: ut siue vigilemus siue  
dormiamus: simul cum illo viuamus.  
Propter quod consolamini in vicem  
et edificate alterutrum: sicut et faci-  
tis. Rogamus autem vos fratres ut  
uoueritis eos qui laborant inter vos  
et presunt vobis in domino: et monent  
vos ut habeatis illos abundantius in  
charitate propter opus illorum et pacez  
habere cum eis. Rogamus autem vos  
fratres: corripite inquietos consolamini  
pusillanimes: suscipite infirmos  
patientes estote ad omnes. Videte  
ne quis malum pro malo alicui red-  
dat: sed semper quod bonum est sectamini  
in vicem: et in omnes. Semper  
gaudete: sine intermissione orate: in  
omnibus gratias agite. Nec est enim  
voluntas dei in christo iesu: in omni-  
bus vobis. Spiritum nolite extinguere:  
prophetias nolite spernere. Omnia  
autem probate: quod bonum est  
tenete. ab omni specie mala abstinete  
vos. Ipse autem deus pacis sanctifi-  
cet vos per omnia: ut integer spiritus  
vester et anima et corpus sine quere-  
la in aduentu domini nostri iesu christi  
seruetur. Fidelis est qui vocauit  
vos: qui etiam faciet. Fratres: orate  
pro nobis. Salutate fratres omnes:  
in osculo sancto. Adiuro vos per do-  
minum ut legatur epistola hec omni-  
bus sanctis fratribus. Gratia domini  
nostri iesu christi vobiscum Amen

Esai. 55.  
Epist. 6. c.

C

Eccle. 18.  
Luce. 18. c.

¶ Explicat epistola Pauli ad  
Thessalonicenses prima.  
Incipit argumentum in e-  
pistolam secundam.